

Frustruosus: "Nemo Monachus solum sine benedictione sui Senioris progrediatur."

Ad quae verba reflectens Hugo Menardus ad Cap. 61. §. 9 Conc. Reg. ait: "Antiquus & laudabilis in Monasteriis mos invaluit, ut numquam Monachus sine benedictione vel oratione sui Reſtoris foras progrediatur, ut hanc veluti circumvallatum mundi pericula & dæmonium tela declinare possit."

Hujus potè disciplinæ non tantum in Can. 64. Trullano, sed etiam in hodiernis ac recentioribus Religioſorum Constitutionibus mentio passim occurrit; nec praxis difsonat.

"Frates (inquiunt Constitutiones Fratrum Eremitarum S. Augustini p. 2. c. 17.) antequam domum exeant genu flexo benedictionem petant à Superiore dicentes, Benedicite Pater: Superior vero det illam tamquam deprecans Deum, quod in eundo, stando, redeundo, eos ab omnibus animæ & corporis periculis servare dignetur."

VI. Observat insuper Vir eruditus Hugo Menardus, quod S. Benedictus loquatur in plurali, Dividendi Fratres, "Quia, ait, numquam solus Monachus, sed duo vel tres in via dirigendi sunt, ob mutuam custodiam animi præsertim."

VII. Quin & ex Regula Orientali notat idem Menardus, disciplinam antiquam illorum Patrum non permisisse Monacho soli cum extraneo colloqui, sed dedisse comitem, & sermonum testem, non quemvis de trivio, sed probatum moribus, ne daretur occasio maligno."

VIII. Ad hac provida Patrum disciplina nec recentiores Monachorum ac Religioſorum Regulæ Constitutionesque recesserunt.

"Statuimus, ut nullus Frater nostri Ordinis sive conventualis sit, sive hospes (veta Constitutionum Eremitarum S. Augustini) cujuscumque dignitatis vel gradus, vadat ad civitatem vel oppidum absq; socio Fratris Ordinis nostri Clerico vel laico seu converso à Priore assignando, neque aliquem Prior solum mittat, nisi ob gravem & urgentem necessitatem. . . Sed nec ipse Prior solus vadat, nisi pro inevitabili necessitate."

Similia in aliorum Ordinum Constitutionibus ac Statutis passim occurrunt, refertque Petrus Martyr in Compendio Constitutionum Ordinis FF. Prædicatorum parte 3. c. 74. statutum: "Cum discursus inutilis & vagus Fratrum turbationem & scandalum pariat, & ex defectu combinationis Fratrum, dissolutiones, & insolentia crescant, ideo neque sine licentia, neque sine socio itinera conſiciant Fratres, & combinati nullo modo se separent ab invicem, quin se videre possint, & valeant mutuo testimonium perhibere, in quocumque sint loco, vel negotio, & transgressores acriter puniantur."

IX. Pergit ulterius Benedictus: "Revertentes autem de via Fratres, ipſo die, quo redeunt, per omnes horas Canonicas, dum expletur opus Dei, profratri solo oratorii, ab omnibus petant orationem propter excessus; ne quid forsitan subripuerit in via visus aut auditus malæ rei aut otiosi sermonis."

Laudabilis planè praxis, ut nimirum per hanc humiliationem, atque Fratrum communes preces mundentur regredientes de via ab infectione, si quam à mundana conversatione contraxerint.

Ad idem tendit, quæ in plerisque religionibus servatur & præscripta est disciplina, ut Fratres ad Monasteria revertentes benedictionem à Superiore petant & accipiant.

Addunt Constitutiones Eremitarum S. Augustini p. 2. c. 17. "Cum Fratres debent aliquò ire, eadem die non reverti, in eundo & redeundo ante majus Altare dicant Psalmum cum precibus & orationibus prout in Officiis nostri Ordinis continentur."

X. Præterea S. Benedictus c. 51. Regula habet, "Frater qui pro quovis responſo dirigitur, & ea die speratur reverti ad Monasterium, non præsumat foris manducare, etiam si omnino regetur à quovis, nisi forte ei ab Abbate suo præcipiatur."

"Hæc est sicut Hugo Menardus ad Cap. 58. §. 1. Concord. Regul. Janſtina Monachorum disciplina nobis sanè imitanda, ut mensas laicorum præsertim nobilium & divitum, quantum in nobis situm erit, declinamus."

Hactenus ille, qui ibidem latius exponit pericula Monachis ex hisce laicorum convivii imminencia.

XI. Eodem indubiè collimat, quod in plerisque, præsertim Fratrum Mendicantium, Constitutionibus seriò inculcatur, ut extra Monasteria in civitatibus non bibant nec manducant.

Et quidem inter novissima Decreta an. 1678. instante Patre Christiano Lupo tunc Ordinis Eremitarum S. Augustini in Belgio Provinciali, per Cardinalem Protectore, probante S. Congregatione Cardinalium, edita, decimum quartum est: "Omnes cujuscumq; conditionis aut præſentia Patribus ac Fratribus in salutari obedientia merito præceptum sit, ne quis extra Conventum in civitate, vel oppido, aut suburbis intra ejusdem civitatis, aut oppidi muros comprehensis audiat comedere vel bibere, sine expressâ & in scriptis habita licentia Patris Provincialis."

XII. Novissimè decrevit Synodus Tridentina Sess. 25. c. 4. De Regul. "Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam defertor sui Instituti puniatur."

Hoc Superiorum mandatum vulgò dicitur hodie obedientia. Unde in Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini parte 2. cap. 17. ubi de licentia exeundi danda à Priore agitur, ad marginem notatur: Quando OBEDIENTIA in scriptis debet dari.

XIII. Et ibidem præcipitur: "Si autem Frater aliquis extra Provinciam propriam sine litteris testimonialibus sui Provincialis exiverit, veniens ad Conventum aliquem nostri Ordinis ab ostiario intro mittatur, & postquæ prædictas litteras non ostenderit, Prior eum in carcerem includi faciat, nec inde extrahatur donec Provincialis provididerit quid de eo sit agendum. Idem sit omnino judici, um de Fratribus ejusdem Provinciae sine litteris testimonialibus venientibus."

In aliorum Ordinum Constitutionibus graves quoque poenæ intentantur, qui sine hujusmodi litteris à suis Conventibus recedunt.

XIV. Ex hæcenus dictis facile colligi potest, quod licet nec votum stabilitatis, nec professio Monastica astringat profitentem ad perpetuam clausuram, nihilominus Patres monachorum judicaverint, evagationem Monachorum ac frequentem cum secularibus conversationem Monasticæ professioni esse contrariam, & Religioſæ perfectioni conſervandæ periculosa; unde non nisi ex causa, & multis adhibitis cautionibus egressum è Monasterio concedendum esse præceperunt.

"Evitentur quoad fieri poterit" (inquiunt Constitutiones Eremitarum S. Augustini par. 2. c. 17.) "Fratrum discursus per civitates & oppida, nec enim Religionis opinio ac devotio apud sæculares ex eo augetur, imò indies magis ac magis minuitur."

Et in compendio Constitutionum PP. Prædicatorum par. 2. c. 71. refert Petrus Martyr: "Licentiæ autem hujusmodi difficulter à Prælato concedi debent. Unde Romæ 1601. ordinatur, & præcipitur Conventuum Prædicatorum sub poenâ absolutionis ab officio, ne facile facultatem præbeant, etiam de consilio Patrum, fratribus vagandi extra conventum, vel eundi ad alios conventus, seu oppida, etiam prætextu alicujus necessitatis, nisi veritas sit & urgentissima, cum conſer hujusmodi discursus magna poenæ incommoda & scandala. Idem confirmatur Romæ 1608."

CAPUT V.

An Professio Religioſa permittat transitum de una Religione ad aliam.

1. Primitus liber erat & frequens Monachorum de uno ad aliud Monasterium transitus.
2. Quid circa peregrinos Monachos statueris S. Benedictus.
3. Rarior coepit esse Monachorum transitus: & quare.
4. Rationes quæ rariorum transituum suadent.
5. Legitima causa transituum Monachorum.
6. Aliquando Monachus tenetur ad aliud Monasterium aut Ordinem transire.
7. Suspectus aliquando visus fuit crebrior Monachorum transitus: & quis transitus hic intelligatur.
8. Ex Decreto Tridentino nullus potest transire ad laxiorem Religionem, etiam prætextu privilegii.
9. Nulla Regularis Superioris licentia ad hoc sufficit; & à quo licentia transeundi peti debeat.
10. Qualiter transitus Regularium Mendicantium prohibitus.
11. Qua de causa concedatur transitus ad laxiorem Religionem?
12. Ad strictiorem Religionem qualiter permissus transitus?
13. Unde judicandum de rigore aut laxitate Religionis?
14. Non facile ob relaxationem disciplina in aliquo Monasterio transeundum ad diversum planè Ordinem.
15. Quin si dubitatur, num Religio sit ætior?
16. Monachus mediæ transituum tenetur consulere suum Superiorem.
17. Quid si Superior consensum transeundi neget?
18. In Italia transitus etiam ad Strictiorem non fit, nisi de licentia S. Congregationis.
19. Transiens ad aliam Religionem, an novum Novitiatum absolvere debeat?
20. Monachus transitum postulans exatè probandus, antequam ad professionem admittatur.

I. PRIMITUS dum una quasi erat omnium Monachorum congregatio, unumque institutum, facilior ac frequentior quam hodie erat Monachorum de uno Monasterio ad aliud transitus.

II. Hinc Regula S. Benedicti extat caput integrum 61. De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur, vultq; Benedictus, ut "Si quis Monachus peregrinus de longinquo, quis Provincias supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus est consuetudine loci, quam invenit, & non forte superfluitate sua perurbat Monasterium, sed simpliciter contentus sit, quod inveniit, suscipiatur quanto tempore cupit."

"Si verò postea, pergit Regulæ, voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur ei talis voluntas: & maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignoscere, quod si superfluous aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterii, verum etiam dicitur ei honestè, ut discedat, ne ejus miseria etiam alii vitentur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus, verum etiam suadeatur, loco uni Domino servitur, & uni Regi militatur."

III. Et quantum vis Benedictus loqui videatur de Monachis, qui nullam loci stabilitatem, aut determinatam Regulam fuerunt professi; nihilominus, etiam postquam Monachi loci stabilitatem, certamque Regulam voverunt, ipsis licitum fuit, non tantum Monasterium, sed & Ordinem mutare, si tamen ratiùs contigit, nec nisi ferè urgentibus ex causis. Illa enim Monasterii Ordinisque semel suscepti mutandi præterita tanquæ levis animi nota suspecta habita est à Patribus; multique titulis improbat.

IV. Et quidem S. Bernardus lib. de præcepto & dispensatione c. 16. multis de causis hanc mutationem improbat. Primum, propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde, quia certa pro dubiis relinquere tutum non est, forsitan enim hæc tenere potest. Tertio, suspectam habeo, ait, levitatem quæ id, quod facile volumus antequam probe-

mus, experiri jam nolimus, uno propè momento id ipsum & cupientes & respicientes tam leviter, quam & irrationabiliter."

V. Bernardo consonans S. Anselmus pluribus idem argumentum prosequitur, ac tandem concudit: "Quapropter, quicumque Cœnobitarum fortè propositum aggreſſus fuerit, nisi tale fuerit, ut ibi malum in vultu facere cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radice careat studeat; atque aliorum mores, aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt etiam inutiles videantur, dijudicare refugiat." Lib. 1. Epist. 29.

Legitimam proinde causam mutationis aliam agnoscere non videtur Anselmus, nisi peccandi necessitatem, quam quis sibi imminere videt, si in Monasterio manere cogatur. Quam rationem S. Bernardus his verbis expressit: "Nam si hæc (conversio morum & obedientia) ibidem pro improbata nimirum atque irreligiositate cohabitans tantum obtineri fortè nequeant, duce spiritu libertatis indubitanter suadeo transire ad alium locum, ubi non im-

pediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua." Et rursus Epist. 7. ad Adamum Monachum; reddens rationem ob quam in suo Monasterio reciperet Monachos propria Monasteria deserentes, ait: "Hac ratione illos suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si vota laborum suorum quæ in locis suis poterunt quidem promittere, sed nequaquam persolvere Deo, qui ubique est, ubicumque reddere."

VI. Si itaque Religioſus seu Monachus videat communitatem suam adeo deformatam, ut nulla videat nec in Fratribus, nec Superioribus observantia Regularis exempli, sed è contrario continuas transgressiones, atq; ad prævariandum Regulam, quam vovit, incitamenta, ita ut spectatâ suâ fragilitate videat sibi moraliter impossibile esse, in tali Communitate posse vota laborum suorum Deo dignè persolvere, vitamque verè Religioſam agere, indubiè duce spiritu libertatis poterit, imò debet se à tali Communitate, si fieri potest, separare, tutioremque locum querere.

VII. Ex dictis satis apparet, quod suspecta ac multis incommodis obnoxia jam pridem visa fuerit Monachorum, qui loci stabilitatem promiserunt, & certam Regulam vivendi voverunt, mutatio, sive translatio ad aliud Monasterium sive Religionem, eo nimirum sensu, ut desinat esse Monachi Monasterii, vel Congregationis, cui semel per professionem solemnem erant incorporati; neque unâ à Regula, cui se astrinxerunt, absolvantur, & alteri Monasterio incorporentur, alterique Regulæ & Religioni alligentur.

VIII. Juxta disciplinam modernam per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 9. de Regular. "Nemo Regularis cujuscumque facultatis vigore transferri potest ad LAXIOREM Religionem."

IX. Quin nec Superioris cujuscumque Regularis licentia, sed sola Pontificis ex justa causa dispensatio sufficit, quod & in praxi servari notat Fagnanus ad Cap. CUM DILECTI De Renuit. Et hujusmodi licentiæ, ait, transeundi ad laxiorem Religionem, etiam legitimis subsistentibus causis, consueverunt concedi à Papa in signatura gratiæ, & à Sacra Poenitentia, à qua conceduntur plerumq; ad supplicationem Generalis vel Procuratoris Ordinis, & de utriusque Religionis consensu S. Poenitentia exhibito, ut sæpissimè vidi observatum, ait Fagnanus, atque ita ipsimet Superiores Regulares agnoscent, se non habere potestatem super hoc dispensandi, cum pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apostolicam. Hæc ille n. 28.

X. Ulterius cum experientia constaret, nonnullos è Religioſis Mendicantibus ad alios Ordines; præsertim Monachos convolare, fucatis quidem coloribus, asserentes id fieri ob frugem melioris vitæ aut ætioris observantia, sed reverà, ut libertius degerent, dignitatesque & beneficia Monastica consequi valerent, & ex certis aliis causis honestati non consonis (uti loquitur Pontifex in Ex-

travagantia. De Regularibus in communi generaliter prohibitus fuit. Fratribus Mendicantibus transitus ad alium quemcumque Ordinem non Mendicantiam, excepto solo Ordine Carthusianorum, sine licentia Papae, idque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae & soli Papae reservatae. Distinctio extraxo.

XI. Dispensat autem sacra Penitentiaria super transitu ab Ordine strictiori ad laxiorem ob aegritudinem aut infirmitatem: quam esse solam justam causam dispensandi credit Fagnanus, additque: Quinimo bona mem. Antonius Cardinalis Carata olim Signaturae Sanctissimi Praefectus in sua Glossa manuscripta ad Cap. 19. Sess. 25. De Regularibus testatur, se numquam vidisse in Signatura gratiam concedi transitum ab arctiore ad laxiorem Religionem, nisi ob infirmitatem vel debilitatem provenientem ex observantia ipsius Regularis arctioris, cum non possit ipsius statuta servare.

Verum, ut etiam haec causa sit justa, videtur expendendum esse, num incommoda quae sequerentur in Religione, a qua transitus petitur, ex relaxatione aliquali Satutorum aut Regulae in gratiam illius, qui illa in omni rigore ob corporis infirmitatem servare non potest, tanta sint, ut praeponderent incommodis, quae sequi solent ex translatione Regularis ad aliam Religionem, praesertim laxiorem.

XII. Si quis autem inspirante Spiritu Sancto desideret, non fictè, sed sincerè ad frugem melioris vitae transmigra- re, eumque in finem Religionem arctiorem amplecti, nequaquam prohibendus, etiam sub praetextu, quod quibusdam Monachis & Canonicis, nec non Hospitalariis aut Templariis à Sede Apostolica sit indulgentum, ne postquam aliquis fuerit professus apud eos, ad alium locum ipsius in- vitis, arctioris etiam Religionis obtenta transire valeat: quia ubi Spiritus Dei est, ait Pontifex in Cap. 18. De Regularibus. ubi libertas: & qui Dei Spiritum agnoscunt, non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto.

XIII. Porro ut hoc ex capite fiat transitus, ad sensum hujus Decretalis nequaquam est attendendum. uti obser- vat Fagnanus, an Monasterium, ubi primò quis fecit pro- fessionem, à principio suae foundationis fuerit strictioris Regularis, quam Monasterium, ad quod sit transitus, sed an secundum Monasterium modo sit arctioris observantia. Ita- que si laxior vita oritur ex transgressione Regularis, si- ve ex obedientia Constitutionum, à Religione, in qua remissius vivitur, potest quis licitè transire ad minorem melius observatam.

Idem observat Cardinalis De Luca Discursus 38. De Regularibus, atque rectè adverti à Canonistis, quod stri- ctum est Monasterium Religionis laxioris, in quo serva- tur Regula, quam illud strictioris Religionis, in quo Regula non servatur. Neque refert, ait, quòd Regula sit stricta, si vita est larga, neque perfectio consistit in In- stituto, sed in observantia.

XIV. Quia tamen Monacho certam Regulam profes- so manendum est in ejusdem Regulae & Religionis obser- vantia, nisi notabilis causa avocet, non immeritò post Jo- annem Andræam monet Fagnanus, transitum ad aliam Religionem si- ve Ordinem, ob disciplinae collapsionem, fieri non posse, nisi totus Ordo sit collapsus, nec subsit spes reformationis. Unde si Monasterium v. g. S. Benedi- cti siue spe reformationis sit collapsum: nihilominus si plura Monasteria ejusdem Ordinis, saltem in patria vel provincia reperiantur non collapsa, tunc minime licebit ad aliam Religionem transmigra- re. Hæc ille ad Cap. SA- NE De Regularibus, qui & ad Cap. LICET eodem tit. 21. juxta prædicta, ait, quempiam posse transire de ar- ctiore Religione, in qua remissius vivitur, ad minorem Religionem melius observatam; uti docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. ubi refert in collationibus Patrù, Abbate Joannem dicere de se ipso, quòd à vita solitaria, in qua professus fuerat, transit ad minorem, scilicet eorum qui vivunt in societate, propter hoc, quòd vita Eremitica ce- perat declinare, & laxius observari.

XV. Si verò dubitatur, num secunda Religio sit ar-

ctior, necessarium videtur judicium Superioris, uti post alios Canonistas notat ibidem Fagnanus.

XVI. Ad hæc ne zelo sanctioris vitae Monachus decipiatur, atque Angelus sathanae se transformet in Angelum Lucis, teneatur Monachus transire volens petere licentiam Superioris, eique causam transitus exponere, qui eam se- dulo expendat, perspiciatque utrum reverà ex zelo san- ctioris vitae hunc transitum medietur, nihilque sit quod hic & nunc eum transitum impediat.

XVII. Si Superior licentiam transiendi neget, poterit quidem juxta juris communis dispositionem, movente Spi- ritu Sancto, transire, sed merito hic prudentium atque ex- pectorum judicium expetere, ne aliàs seipsum Monachus fallat, vel eam zelo præcipiti magna in Religione scan- dala & contentiones excitat.

XVIII. Quare notat Cardinalis De Luca, neque à laxiore ad strictiorem transiendi licentiam concedi sine licentia Sacrae Congregationis Regularium, quæ audito Superiore primæ Religionis, id concedere solet certas præscribendo Religiones, in quibus benevoli recepto- res inveniuntur, pro facti qualitate ac singulorum casu, ut circumstantiis. Disc. 41. ad Concilium Trid. Quod an extra Italiam obtineat, dubito. Quod hic dicitur, Sacra Congregationem hanc licentiam non annuere, nisi audi- to Superiore primæ Religionis, conforme est Regulari Benedi- ctinæ, quæ ait: Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio novo Monasterio Monachum ad habitandum susci- piat sine consensu Abbatis ejus aut litteris commenda- tiis: quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Cap. 61.

XIX. Cum verò per veram translationem Monachus à Monasterio si- ve Religione, in qua professionem emisit, absolvatur, & alteri Monasterio vel Religione per pro- fessionem incorporatur, vitamque suam juxta normam vivendi in hac Religione aut Monasterio observatam in- stituere debeat, ipsaque Religio eum pro sua facta pro- fessione debeat agnoscere, etiam novum Novitiarum seu annuum probationis præmittendum esse bene probat Fagnanus ad Cap. AD APOSTOLICAM De Regularibus, & post ipsum Cardinalis De Luca Disc. 38. De Regularibus, qui tamen ibidem monet, quòd S. Congregatio pas- sim dispensare solet, aliquo brevi tempore contenta, quoties præsertim non agitur de transitu ad strictiorem, magisque asperam vitam: uti tamen rigor & continui- tan in, qui regulariter dispensari non solet, procedit, ubi a- gitur de in primendo statum Regularem in genere, cum formalis ac omnimoda mutatio status irretractabilis, de seculari in Reg- larem ac de libero in servum, seu de vivo in mortuum. Secus autem ubi, istoflatu jam im- presso, agitur tantum de accidentalibus mutatione vitæ potius sub una, quam sub altera Regula.

XX. Monet nihilominus sæculi nostri Monasticae dis- ciplinae zelosus instaurator Abbas Trappensis, majorem exactioremque probationem merito exigi in receptione Monachi transientis, quam in receptione alicujus de sæ- culo. Et sane, qui per experientiam noverunt, inquit, difficilius esse reformare, seu potius totaliter immuta- re aliquem venientem ex aliquo Monasterio, quam si e medio sæculo veniret, non dubitabunt, quin novus Novitiatu sit necessarius, non tantum, uti loquitur qui- dam Pontifex, ob bonum Postulantis qui se obligat, sed etiam in securitatem Congregationis quæ eum recipit. Qui de sæculo immediatè egreditur, est quasi tabula ra- sa, cui quidquid libuerit insculpitur & imprimitur, et- serque res insolita, ut is adeò esset præsumptuosus ut non reciperet eum submissione & docilitate instructio- nes & præcepta intrè eujus ipse hæcenus nullam noti- tiam habet. At non idem dici potest de Monachis: hi veniunt ab observantibus suis Monasticis pleni princi- piis, præventionibus & imaginationibus falsis, habitibus ibi dem contractis ferè in perpetuum addicti, ad ea contra dicenda atque carpenda, quæ nec suis iudiciis, nec ideis de Religione statu præconceptis conformia sunt.

»prom p

» promptissimi. Tandem tam multa in ejus prius sunt ev- r- t- tenda, quam fiant capaces eorum, quibus & mente & corde imbuendi sunt, ut tempus novitiatu & proba- tionis non tam contrahendum sit, quam protrahendum. Equidem ex hujusmodi translationibus tam rarus est profectus, ut antiqua Instituta quæ Ordini Regularitati, ac paci studuerunt, iis aditum præcluserint, aut saltem eas, nisi quam maximè præconsultè non admittant.

» Antiquis majorem admittendi facilitatem conferte potuit integra & non impedita libertas, pacem Congre- gationis turbantes dimittendi, sed jam cum non adit amplius æqualis potestas, & etiam ab invidi Religiosi morum non integrorum quantumcumque se se efferat eorum depravatio retineri debeant, nulla cura, nullum studium quo deceptio in ejusmodi Instituti evitetur, non est subeundum. Et dici potest, sanctum Benedictum, si nostris viveret diebus, perspexissetque quam rarò in fines expectatos mutationes hujusmodi deveniant, non tantum tempus probationi Religiosorum extraneorum destinatum ad unam diem diminutum non fuisse, sed potius eorum novitiam in annos duos protrahendum. Hæc ille ad Cap. 61. Reg. Bened.

CAPUT VI.

Quid observandum à Regulari prætendenti professionem suam fuisse invalidam?

1. Olim liberum fuit omni tempore allegare & probare nullitatem.
2. Decretum Synodi Tridentinae circa licentiam allegandi distam nullitatem.
3. Nullitas professionis hodie proponi debet intra quin- quennium à die professionis.
4. Id etiam procedit tamen si nullitas prætendatur ex impe- dimento perpetuo.
5. Per lapsum quinquennii non inducitur tacita professio.
6. Reclamatio post quinquennium admittitur si impedi- mentum sit notorium facti permanentis.
7. Contra lapsum quinquennii non admittitur excusatio ignorantia. (lapsum quinquennii.)
8. Metus aut vis tametsi perpetua non admittitur contra
9. De Sulo Curia Romana datur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii; & qua forma expediatur?
10. In Gallia restitutio illa non admittitur.
11. Causa nullitatis debet tractari coram Ordinario & Superiore Regulari. (rins.)
12. Quis hic dicatur Superior Regularis, & quis Ordina- rius?
13. Synodus Tridentina Superiori Regulari adjungens Or- dinarium non recedit à jure communi.
14. Conventus prætendens nullitatem alicujus professionis, eam coram Ordinario idque intra quinquennium alle- gare debet.
15. In Gallia deduci debet coram delegatis per Rescriptum Apostolicum iudicibus in partibus.
16. Qui sponte habitum Religiosum dimisit, causam nulli- tatis allegans non auditur, antequam habitum re- sumpserit. [dimittendi.]
17. Neque hic attenditur, num iusta causa fuerit habitum
18. Edictum Caroli V. contra Religiosos abijcientes habi- tum Religiosum.

I. Olim, uti notant Canonistæ ad Cap. 1. De his qua- rum vis metusve causa sunt, si professus, qui à Monasterio exiverat, justam causam timoris seu nullitatis suæ professi- onis prætendebat & allegabat, ad suum Monasterium redire non contempserat, nisi causâ prius deductâ atque decisâ.

II. At eum similis à Monasterio recessus atque indefi- nita ac illimitata contra professionem semel emissam re- clamandi licentia, varia secum traheret incommoda, Syn- odus Tridentina hæc obviare volens statuit Sess. 2. c. 19. De Regularibus: Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingentium esse Religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid

» simile; velitque habitum dimittere quacumque de cau- sa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superio- rum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis; & tunc non alter, nisi causas, quas præ- tenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur; sed ad monasterium rectè cogatur, & tamquam apostata pu- niatur; interina verò nullo privilegio iuxta Religionis ju- vetur.

III. Tria hic statuit Synodus. Primò, ut Regularis præ- tendens, professionem suam esse nullam ob vim metumve illatum, aut defectum ætatis, aut quid simile, debeat causas nullitatis allegare & deducere intra quinquennium à die professionis, alias non audiendus.

IV. Cum verò Synodus nullam causam nullitatis exci- pias, sed duabus expressis generaliter dicat, aut quid si- mile; id est, similiter inducens nullitatem professionis, non videtur distinctio facta à Synodo, inter impedi- menta temporalia, & perpetua; uti bene probat Fagnanus ad Cap. 1. De his qua vis metusve causa sunt; asseritque sententiam, asserentem, invaliditatem professionis ex im- pedimento perpetuo etiam lapso quinquennio posse pro- poni, semper à S. Congregatione Regularium fuisse re- probatam; ac discusso articulo respondit, quod et si im- pedimentum sit perpetuum, illud tamen deducendum fu- isse infra legitima tempora.

Insuper refert, Gregorium XIII. ex sententia S. Congre- gationis declarasse, Regularem elapso quinquennio non esse audiendum, tamen si professus alleget, vim & metum semper durasse.

V. Hinc ulterius infert Fagnanus, Synodi mentem hand fuisse, ut per lapsum quinquennii indicatur tacita profes- sio, sed tantum, ut post tanti temporis silentium audientia negatur: neque enim absurdum est, ut qui tam diu tacuit, deinceps non audiatur.

VI. Si tamen impedimentum sit notorium facti per- manentis, adeo ut nulla super ejus existentia aut non exi- stentia quæstio moveri queat, sed ad oculum pateat, tunc post quinquennium proponi poterit; non quia perpetuum est, sed ob notorietatem facti permanentis: Ut v. g. si vir in habitu muliebri professionem emisit in Monasterio Monialium; quo item casu, quemadmodum monet ibi- dem Fagnanus, non obstat quinquennium Concilii, pro- pter periculum scandali, & peccati.

VII. Quinquennium autem ex verbis Synodi currit à die professionis, ideoque lapso quinquennio à die professi- onis via ordinariâ, & juxta Decretum Synodi, Regularis causas nullitatis deducere volens, non est audiendus; tamen si ignorantiam nullitatis aut impedimenti prætendat; aut fuisset aliunde impeditus, quo minus ipsam causam nulli- tatis deducere potuerit. Quod & ipsa Synodus non obscu- re innuit, cum dicit: audiendum non esse, nisi intra quin- quennium TANTUM à die professionis.

VIII. Huic conforme est, quod dicitur Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declarasse, nempe eos, qui per vim & metum se Religionem professos præ- tenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo lapso non esse audiendos, tamen si allegarent vim & me- tum semper durasse.

IX. Hunc tamen quinquennii lapsum non impedire, quin ex justa causa deatur restitutio in integrum, plures Ca- nonistæ contendunt; eamque opinionem confirmat praxi Curia Romana; uti notat Cardinalis de Luca discurs. 41. De Regularibus; monens ibidem, non pertinere ad

» iudices de hujus restitutionis in integrum concessione cognoscere vel judicare; cum id privative pertineat ad Papam; qui eandem restitutionem concedere non so- let, aut, nisi prævia consultatione Sacrae Congregationi Concilii, cui frequentius commissiones super hujusmo- di restitutionis petitione dirigi solent; licet quandoque, sed nimium raro, etiam huic congregationi Regularium directè fuerit: ac propterea in una, vel altera congre- gatio-